

Tu verus mundi lucifer,
Non is qui (a) parvi sideris,
Venturae lucis nuntius,
Angusto fulget lumine :
Sed toto sole clarior,
Lux ipse totus et dies,
Interna nostri pectoris
Illuminans praecordia.

Adesto rerum conditor,
Paternae lu is gloria,
Cujus (b) admota gratia,
Nostra patescunt corpora ;
Tuoque plena spiritu ,
Secum Deum (supple, sunt) gestantia :
(c) Ne rapientis perfidi
Diris patescant fraudibus :

A

Ut inter actus saeculi,
Vitae quos usus exigit,
Omni carentes crimine,
Tuis (d) vivamus legibus.
Probrosas mentis castitas
Carnis vincat libidines,
Sanctumque puri corporis
Delubrum servet Spiritus.
Haec spes precantis animae,
Haec sunt votiva munera,
Ut matutina nobis sit
Lux in noctis custodiam.
Gloria tibi Domine,
Gloria Unigenito,
Cum Spiritu paraclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

B

CENSURA ALTERIUS HYMNI HILARIO PERPERAM TRIBUTI.

In ms. alias Cardin. Sirletii, tum Altemperensis bibliothecae, nunc Cardinalis Ottoboni, hunc hymnum sequitur alter proluxior, qui serotinus existimari possit in superiore ad Abram epistola memoratus. Certe in serotinum tempus apprimè convenit. Ab astris enim exordium ducit, estque generalis quaedam confessio animi, qui lasciviae, superbiae, invidiae, discordiae, inanis gloriae, gulae ac gestientis laetitiae vitium se impetum ingemiscens, una Dei misericordia Christianae meritis fretus veniam precatur. Praeterea Arianæ haeresis tempora in hoc sa-

pit, quod fidelem animum professus, Arium ac Sabellium nominatim detestatur, nec ullum his addit hereticum, nisi, forte ad complendos versus, Simonem magnum. Tamen dictio non videtur Hilario digna. Ubique versuum mensura syllabarum potius quam pedum numero terminatur. Et cum sermo deberet esse feminini generis, si a filia cavendus esset hic hymnus, ubique est masculini. Ex initio et sine judicet lector, quid de hymno reliquo sentiendum sit.

INITIUM.

Ad caeli clara non sum dignus sidera
Levare meos infelices oculos
Gravi depressos peccatorum pondere :
(e) Parce redemptis.
Bonum neglexi facere quod debui,
Probrosa gessi sine fine crimina,
Scelus patravi nullo clausum termino :
Subveni, Christe.

C

FINIS.

Hymnum fideli modulando gutture,
Arium sperno, latrantem Sabellium :
Assensi numquam grunnienti Simoni
Aure susurra.
Zeloque Christi sum zelatus nomine :
Sancta nam mater lacte me catholico
Tempus per omne Ecclesia nutritiv
Ubere sacro.

(a) Editi, parvus oritur.

(b) Ita ms. Germ. ubi Ottob., duo Coll. et alius sancti Petri de Cultura, amota gratia nostra pavescunt corpora : male in Vulgatis autem, ad nutum gratiae nostra patescunt corpora. Tum in alio ms. German. subjicitur :

Tuaque sancta dextera,
Tuere nos per saecula.
Post hujus vitae terminum,
Vitam perennem tribue,

ac deinde subsequitur : Tuoque plena spiritu, pro quibus in vulgatis : Tu quoque pleno spiritu.

(c) Germanensis codex, nihil adrepentis perfidi occultis pateat fraudibus.

(d) Excusi, nitamur legibus : renitentibus mss.

(e) Melius hic conveniret Subveni, Christe ; et post, Parce redemptis.

D

531-532

IN SEQUEMTEM LIBRUM ADMONITIO.

NONNULLA DE LIBRIS ALIIS AD CONSTANTIUM PRAELIBANTUR.

I. *Librorum ad Constantium ordo.* — Tres libros subsequentes, quo eos ad manum habere quisque valeat, ab invicem non separamus : quamvis ordo temporum postularet, ut eorum primus libro de Synodis praeponeatur. In illis tamen inter se ordinandis habita est temporum ratio, quae prius neglecta fuerat.

II. *An aliqui libri ad Constantium exciderint.* — Am-

bigi possit, an plures, quam qui nunc exstant, sub iisdem titulis ab Hilario scripti sint. Namque post Sulpicium Severum Fortunatus testatur, ipsum, dum Constantinopoli opperiretur regis voluntatem, tribus libellis regis audientiam poposcisse : nec jam nobis superest nisi unicus Constantinopoli editus, quo audientia postuletur. Deinde in nullo librorum sequentium reperire est fragmentum, quod Hilarii nomine ut